

# Universitätsbibliothek Wuppertal

## **Symbolarvm Libri XVII. Qvibvs P. Virgilii Maronis Bvcolica, Georgica, Aeneis ex probatissimis auctoribus declarantur, comparantur, illustrantur**

**Vergilius Maro, Publius  
Augustae Vindelicorum, MDIC**

Gedicht

---

**Nutzungsrichtlinien** Das dem PDF-Dokument zugrunde liegende Digitalisat kann unter Beachtung des Lizenz-/Rechtehinweises genutzt werden. Informationen zum Lizenz-/Rechtehinweis finden Sie in der Titelaufnahme unter dem untenstehenden URN.

Bei Nutzung des Digitalisats bitten wir um eine vollständige Quellenangabe, inklusive Nennung der Universitätsbibliothek Wuppertal als Quelle sowie einer Angabe des URN.

[urn:nbn:de:hbz:468-1-322](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:468-1-322)

# AD NOBILEM, CLARISSI-

MVMQVE MARCVM VELSERVM

Augustanum, Patricium, Excōs.

VII. virum, *χαριστικόν.*

**Q**VO tibi, MARCE, rear contingi corda lepore,  
Quæ tibi, quæ tacitam suffundere gaudia mentem,  
Palladia dum se circum glomerante caterua,  
Et portante manu florentia lumina flammis,  
Aspicias ÆTERNVM in vulgus prodire MARONEM?  
Gaudet ut ipse sibi? ut se contemplatur, & illa  
Quæ Cæsar, quæ Mæcenæ, quæ Pollio quondam  
Contulerunt, nihil esse putat festertia, præ queis  
Ingenij se nunc opibus pernoſcit honorum?  
Quacunq; incedit, loca feruent omnia plausu,  
Cantibus Aonides, fidibus lætatur Apollo,  
Tamq; nouam ingenti famam gratantur alumno.  
Quiq; ita stipatum populi facis esse POETAM  
Aere tuo, tibi, MARCE, omnes optata precantur,  
Atq; tuum sublimè ferunt ad sidera nomen.  
Nam quis ita est læuus, cui non tua plurima virtus  
Blanditum incutiat suauem per pectus amorem?  
Sacra celebrare iuuat te limina templi,  
Mentem animi sæpe ætherias sustollere in arces,  
Multa pijs adeò poscentem numina votis.  
Quem porrò bonitas, iusti reuerentia, candor,  
Antiqui mores, fuga luxus, ardor honesti,  
Parcæq; sobrietas magè MARCO habuistis amicum?  
Exercere tibi pulcherrima cura Mineruam,  
Et chartis longos hærendo condere soles,  
Otia cum studijs vrbana negotia reddunt:  
Curia te siquidem vocat ad ciuilia rerum  
Crebrius, atq; unà leges sancire necesse est.  
Quid loquar, alta tibi quod tam explorata vetustas,  
Omnis & historiæ longè notissimus ordo?  
Sunt testes alij, testisq; insigne volumen,  
Quo tu Vindelicis accendens lumina rebus,  
Das vultus patriæ antiquos, atq; ora tueri.  
Verùm agè, Boiugenùm pridem tibi cœpta, rogamus,  
Dum texis pertexe semel monumenta virorum:  
Parce supra decimam spe nos producere brumam:  
Rumpatur nimium mora longa, eat alite fausto  
Magnum opus, ingenij distinctum luminibusq;  
Et castigatum ad præfectum gnauiter vnguem.  
Tu bona telluris Boiæ, & primordia gentis,  
Magnanimosq; Duces, iunctasq; in fœdere dextras,  
Et pugnata domiq;, forisq; horrentia bella,  
Iura, vrbes, ritus, & res ab origine prima,  
Et varios casus, & lectu maxima pandes,  
Egregiam summo gentemq; beabis olympo.  
MARCE, meum columen, Charitum flos, gloria Musæ,  
Ante alios vnum quem diligit iuclyta Virtus,  
Perge stylo dulces, sumptuq; ornare Camœnas.  
Viue diu, & simul ut naturam expleueris æuo,  
Cælestium ad cœtus animorum lætus abito.